

mus infimul adjungere, quod eodem loco exempli primi vice proponitur, & quia sequentium illustrationi conferre multum potest, à nobis hoc modo confectum est: Ab hydria nostra exteriore removimus (quod fieri facile potest) fundum sive partem inferiorem HM (Fig. 39.) & fundi superioris foramine EF sollicitè clauso per lamellam cupream ope ceræ agglutinatam, superius hydriæ labrum ex tribus funiculis ita suspendimus ex uno bilancis brachio, ut ea esset instar lancis & cum opposita lance alia libram integram constitueret. His lancibus ad æquilibrium ritè reductis, alteram R (Fig. 40. num. 2.) h. e. hydriam nostram aquâ replevimus ad summum, in alteram T interim tantum ponderis immittentes, quantum ad æquilibrium servandum requirebatur, quodque reperiebamus unius libræ & unc. i i. Mox effusâ omni aquâ ex hydria, eam vacuum applicavimus ab imo sursum cylindro ligneo S immobili, cujus diam. non erat plenè 3. dig. Rhinl. pondere memorato interim omni in lance T relicto; quo pacto fiebat ut fundus hydriæ R adversus imam dicti cylindri basin conniteretur pressione æquali 27. unciis in lance T deorsum trahentibus. In hoc libræ statu, quem Figura oculis clarissimè depingit, residuam hydriæ cavitatem (nec enim hanc penitus expleverat cylindrus ligneus S, sed circumquaque ab ejus contactu liber erat) aquâ iterum replevimus, admirabundi nunc videntes, quod Phæn. XX. *Stevinus* prædixerat, à paucula hac aqua (cujus pondus postea 10. unc. drach. 3. reperimus) idem pondus T sublevatum, quod antea non nisi ab aqua illa omni quam hydria separatim ceperat, emotum spectaveramus.

XI. Superest autem adhuc unum per situlam simplicem aut hydriam nostram exteriorem exhibitum experimentum cum duobus orbiculis ligneis, quod pluries urget Doctissimus Dn. Morus. Nimirum si bini orbiculi lignei in situlæ fundo ponantur, unus immediatè supra fundi foramen, alter autem supra priorem, atque unâ detineantur, obtu-